



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De  
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1702**

Quæstio IX. In Titulum IX. De Conjugio Servorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

ergo etiam matrimonium consummatum dissolvitur per lepram alteri supervenientem. & transmissa in præsens majori negotio. Nam textus in *cit. c. fin.* loquitur tantum de casu, quo sponsalibus de futuro supervenerit lepra; & resolvit, sanum tunc non esse cogendum ad matrimonium consummandum, hoc est, *invenendum*. Matrimonium enim prius consensu mutuo consummandum, seu perficiendum est, quam copulâ carnali.

1037. Instabis: in *c. proposuisti. 18. caus. 32. q. 7.* Gregorius III. consultus à Bonifacio Episcopo, utrum viro, cujus uxor propter infirmitatem debitum reddere nequibat, liceret secundum matrimonium celebrare? Respondit: *bonum esse, si sic permaneat; si autem noluerit, posse aliam uxorem accipere*: ergo propter infirmitatem supervenientem, tam quoad thorum, quam quoad vinculum, matrimonium dissolvitur & per consequens non rectè in præsentem docetur, per lepram su-

pervenientem conjugii, non dissolvi matrimonium.

Ad hanc difficultatem varix sunt responsiones Doctorum; rectior explicatio videtur esse, quæ dicit, Gregorium in dicto *c. Quod proposuisti*, agere de muliere, quæ inventa est ita arcta, & inutilis matrimonio, ut cognosci à viro non possit, propter ægritudinem, quam ignorabat maritus tempore, quo matrimonium contraxit; nam eo casu matrimonium nullum est *c. 1. de frigidis & malef.* Sic Archidiaconus, Turrecremata, & Card. Bellarminus *l. 4. de Rom. Pontif. c. 13.* apud Barbof. in *cit. c. quod proposuisti, n. 2.*

Si opponas: ex textu non apparere, quòd prius matrimonium fuerit nullum; cum dicat, non debere virum à prioræ uxore debitum subsidium auferre; Respondetur cum gloss. hinc, *V. nubar.* intelligi de dote restituenda; aut si de alio subsidio accipiatur, esse consilium.

## QUÆSTIO IX.

### In Titulum IX. De Conjugio Servorum.

**H**oc titulo agitur de impedimento dirimente matrimonium, quod nascitur ex conditione servili, dum liber cum serva; vel libera cum servo contrahit, putans liberum. Et quoniam in hoc tangitur quæstio de errore conditionis, & cultus seu religionis diversitate, simul exponemus h. t. impedimentum dirimens, quod inducit error conditionis & disparitas cultus.

#### ARTICULUS I.

##### De impedimento ex conditione.

1039. Per conditionem, prout explicat impedimentum dirimens matrimonium, non intelligitur nisi *conditio servilis* (uti patet ex inscriptione hujus tituli) adeoque conditio & status illorum hominum, qui sunt servi *civiliter*, seu *legaliter*; hoc est, qui ex dispositione legis civilis ita subjiuntur alieno dominio, ut id, quod sunt, Domini sit, ad operas, & utilitates, quæ ex ipsis percipi possunt. Hæc subjectio jure civili quatuor modis seu titulis introducta est, nempe jure belli, nativitate, justâ condemnatione, ac emptione. sic Pereyra in

*Elucid. l. 2. n. 825.* Hinc illi, qui nullo ex præmissis titulo servi sunt, hic intelliguntur sub nomine hominis *liberi*. quo posito:

Communis regula est: quòd *conditio servilis ignorata dirimat matrimonium* inter liberum & servam; vel servum, & liberam. Hinc quando liber contrahit cum serva, putans liberam; vel libera cum servo putans liberum, matrimonium ex hac conditione ignorata, est nullum. *c. si quis homo ingenuus. 29. q. 2. c. fin. h. t. ibi: si consiterit, quòd ignoraverit contraxerit cum ancilla, ita, quòd, postquam intellexit conditionem servilem ipsius, nec factò, nec verbo consenserit in eam, contrahendi cum alia libera ipsi concedas, auctoritate apostolica facultatem.* Ex quo clarè sequitur conditionem servilem, ignoratam à libero, vel libera, dirimere matrimonium ejus cum serva, vel servo.

Not. autem 1. quòd hoc procedat, etiam si servitus esset *solum temporalis*; cum satis sit pro eo tempore, quo contrahitur, servam esse, etiam si libertas promissa sit, aut.



aut debita, ut colligitur ex *L. statu liberum ff. de statu liberis*. Et ideo statu libera servum parit. *L. statu libera 16. ff. eod. ita Zoësius h. t. n. 3.* Not. 2. hoc impedimentum non esse juris naturalis, sed tantum Ecclesiastici; cum non impediatur voluntarium simpliciter hujus status ignorantia, nec liberum usum matrimonii, nisi ad tempus; ita Zoësius *hic n. 2.* Not. 3. si liber scienter contrahat cum serva, validè contrahere: quia sic conditio non est ignorata, nec obest, si servus sit perpetua, si temporalis. Not. 4. si servus cum serva contrahat, matrimonium valere, cum nulla subfit læsio, & par utriusque conditio. Idem est, si quis ex servis contrahat cum libera, putans servam; nam cum sic hujus conditio sit melior, alter non potest esse invitus. Not. 5. Si quis conjugum post matrimonium ritè contractum evadat servus, non propterea solvi matrimonium, ut dicitur infra de divortio; quia nullibi constitutum est, quòd servitus superveniens matrimonio ritè contracto, illud dirimat.

1042. Not. 6. jure canonico inter servos, vel inter liberum & servam, subsistere matrimonium, adeò, ut invitis dominis validè contrahant, ne detur illis ansa fornicationis *c. 1. b. 2. ibi*: sanè juxta verbum Apostoli, sicut in Christo JESU neque liber, neque servus est à Sacramentis Ecclesie removendus; ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi: & si contradicentibus dominis, & invitis contracta fuerint, nullà ratione sunt propter hoc dissolvenda. Debita tamen, & consueti servitia non minus debent propriis dominis exhiberi; per hoc tamen servi non liberantur à servitiis domino debitis; licet non debeat eos dominus sic occupare, ut non possint convenienti tempore matrimonio vacare, vel debitum reddere; quia cum per Canones habeat jus ad matrimonium, habet & jus ad ejus usum; & ratio est *ex cit. c. 1.* quia juxta verbum Apostoli, sicut in Christo JESU, neque liber, neque servus est à Sacramentis Ecclesie removendus; ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi.

1043. Unde, dum Concilium Cabilonense, relatum *c. fin. 29. q. 2. de servorum conjugis non dirimendis*, ait: hoc in illis observandum, quarum conjunctio legalis

fuit, & per voluntatem dominorum, intelligendum venit, id, maximè servandum in tali casu; non autem, quòd extra illum dirimenda sint contra clarum jus in *cit. c. 1.* Nec obstat, quòd vir, invità uxore ad professionem, vel ordinationem in sacris admitti non debeat; aut sic professus, vel in sacris ordinatus, uxori debeat reddi: nam vota professionis, in quantum præjudicant juri uxoris, non acceptantur à Deo, quòd hominem matrimonii legibus simul adstrictum non sinant vacare divinis officiis, quibus totum se debet Religionem professus; id quod respectu domini non facit matrimonium servi, vel ancillæ, contractum invito domino. Ab ordinibus autem sacris repellitur, quòd tunc non sit habilis emittere votum, acceptabile Deo, in præjudicium uxoris, quod tamen præstandum foret à volente, juxta leges Ecclesie, sacris initiari.

Not. 7. validum esse matrimonium liberi cum serva, aut servi cum libera, quam ancillam credebat; sicut etiam, si servus accepit ancillam, quam liberam putabat. Nam hic error non attulit libero, aut servo cum libera, existimatà servà, nec servo cum ancilla, existimatà liberà, conditionem deteriorem. Hæc tamen intellige, nisi consensum suum simpliciter alligasset qualitati, quam ex errore credebat inesse alteri. Tunc enim jure naturali nullum esset matrimonium, defectu consensûs.

Not. 8. in casu, quo liber agnoscit, ancillam esse, cum quâ contraxit, liberam ratus, ei, si velit, propria autoritate licere ab ejus thoro, & conjugali commercio recedere (cum matrimonium nullum sit) nisi verbo, vel factò, post cognitam conditionem servilem ipsius, in eam consensisset: ad aliud tamen matrimonium transire sine judicio Ecclesie, matrimonii nullitatem declarantis non posse, prout dicemus infra de divort. Dixi, nisi factò in eam consenserit. Nam si post notitiam de servili conditione ipsius, nihilominus eam carnaliter cognovit, jure antiquo evasit matrimonium præsumptum præsumptione juris de jure, ut alibi dictum est; quod tamen hodie locum non habet, ubi matrimonium est præsumptum solà præsumptione consensûs, juxta dicta superius; nisi ibi, ubi decretum Tridentini non habet locum.

Not. 9.



1046. Not. 9. quando diximus conditionem servilem ignoratam à libero, matrimonii valori obviare, non intelligi de servis, solum adscriptitiis, seu obligatis fundum colere, & à culturâ vel possessionibus invito domino non recedere; nec etiam de *Originariis*, qui scilicet ex adscriptitiis nati sunt: sed illis tantum, qui propriè servi sunt, juxta jam dicta.

1047. Not. 10. contra valorem conjugii servorum invitatis dominis contracti, plura utroque jure opponi, & 1. ex jure civili, ubi matrimonia servorum dicuntur contubernia, non matrimonia *L. 14. ff. de ritu nupt.* & alibi. 2. quia matrimonium non stat sine voluntate, *c. cum locum*, de sponsal. in servis autem non est voluntas, ex Regula *Velle non creditur ff. de regul. jur.* 3. quia matrimonium non stat sine potestate faciendi traditionem corporis; at servus talem potestatem non habet, ut constat ex definitione servi; quomodo ergo possunt in nuptias consentire, aut corpus suum alij tradere? 4. Matrimonia servorum sine domini voluntate contracta ab Ecclesia non defenduntur, ut docetur in *Concil. Aurel. 4. can. 23. aliàs 24.* ibi: *Quæcunque mancipia sub specie conjugij ad Ecclesie confugerint septa, ut per hoc credant, posse fieri conjugium, minime eis licentia tribuatur, nec talis conjunctio à clericis defendetur.* *Cabilon. 2. can. 30. cap. fin. 29. q. 2. D. Basilius ad Amphiloeh, can. 42.* ibi: *Quæ sine his, qui habent potestatem, sunt matrimonia, sunt fornicationes: nec ergo vivente patre, nec domino hi, qui conveniunt, sunt ab accusatione liberi, donec conjugio domini annuerint; tunc enim accipit firmitatem conjugium.*

1048. Confirmatur: nam si vera esset ratio adducta ex *c. 1. h. t.* videlicet, quod nec liber nec servus est à Sacramentis Ecclesie removendus, sequeretur, quod nec à Sacramento ordinis arcerentur: sed tam juxta antiquos, quam novos Ecclesie Canones, servi ad ordines sacros admitti non possunt, nisi prius à dominis plenè mittantur, *cap. 1. de servis non ordin.* igitur ratio ibi adducta à Pontifice sustineri non potest.

1049. Resp. in causis matrimonialibus, præsertim de valore, non esse deferendum juri civili, sed Canonico, ut aliàs dictum

est: sed jure canonico matrimonia servorum etiam invitatis dominis inita tanquam valida probantur ex dict. à n. 1040. ergo. Quod dicitur, eorum matrimonia jure civili appellari contubernia, ex eo est, quod ejus consideratione servi personam non habeant, & pro nihilo reputentur, *L. quod attinet, ff. de reg. jur.* hinc inspecto jure civili non dicebantur contrahere matrimonium sed contubernium, quæ vox sumitur pro convictu, & sodalitate; & in servis appellatur, quod in Quiritibus est, *matrimonium*, ut ait P. Benedictus Perera in *Elucidar. n. 1057.*

Ad 2. in n. 1047. re. dist. ma. matrimonium non stat sine voluntate in illis omnibus, quæ sunt juris civilis, & ex quibus possit præjudicari domino, neg. ma. sine voluntate alteri constituendi jus sui corporis ad usum conjugalem conc. ma. sed nego hanc voluntatem non inesse servis; cum domino non subjiciantur in iis, quæ sunt juris naturalis. Nam in his propriâ voluntate reguntur.

Matrimonium autem est juris naturalis; ergo, ad 3. ibid. re. non requiri ad matrimonium potestatem tradendi alteri corpus; nisi quantum requiritur ad usum conjugalem pro generatione prolis; quam jus civile (utpote jure naturali competentem) servis adimere non potuit.

Ad 4. desumptum ex autoritatibus Concilii Aurelianensis & S. Basili, respondet Basilius Pont. *l. 7. de matr. c. 42.* in veteri Ecclesia matrimonia servorum sine domini consensu contracta, quia erant in grave præjudicium domini, fuisse separata etiam quoad vinculum; rectius tamen dicitur, solum quoad thorum, & pro iis tantum casibus, ubi dominorû obsequia debita impediabantur. Vix enim credibile est, matrimonia servorum tandem non fuisse consummata, dum ad instantiam dominorum rescinderentur, tanquam rata tantum.

Ad confir. in n. 1048. re. inter Sacramentum matrimonii, & ordinis recipiendum à servo, discrimen esse; nam error qui antecedit, & versatur circa servilem conditionem personæ, cum qua contrahitur cum tali errore, tollit voluntarium seu consensum in personam, sine quo non stat matrimonium; unde si talis error non intercedit, sciens conditionem personæ,



sonæ, non remouetur à sacramento matrimonii; quia per hoc non præjudicat seruus domino in his, in quibus ei subest; quæ ratio non inuenitur, ubi seruus ignorante domino recipit sacramentum ordinis. Quare in eo argumento N. sequelam.

1053. Ex iure autem canonico, contra matrimonium seruorum primò, obijcitur *c. non omnis* 32. q. 2. ibi: *nuptiarum autem generatim inter ingenuos sunt legitima*; ergo non seruorum: 2. *c. antic.* 33. q. 3. ubi statuit Pelagius, quòd, *si nepos habet patrem seruum, avum vero liberum, et de eius nuptiis agatur, avus consentire debet; non vero, pater, qui est seruus; quia liberum arbitrium non habet.* Ex hoc enim sic arguitur: seruus in nuptiis filii non habet liberum arbitrium; ergo nec in suis; ergo defectu liberi arbitrii matrimonium contrahere non potest: 3. *c. illud* 11. de *presumpt.* ibi: *mulier vero instrumentum illud asserens vitiosum, ut seruo dominus fraudaretur.* Ex quibus deducitur, seruum matrimonium contrahendo privare dominum suum dominio: 4. *ex c. 20. Concilij Vermer.* cuius titulus est, *ut charcellarius, qui cum ancilla fornicatur, eam libertate donatam uxorem habere cogatur*; ex quibus verbis deducitur, quòd ad hoc, ut matrimonium contrahatur cum ancilla, desideretur, ut prius manumittatur: Denique in *c. 12. CC. Toletan.* 9. non solum servis, verum & libertis prohibitum est ingenuas mulieres in uxores accipere: ergo non rectè in presenti docetur, inter seruos, & inter hominem liberum; & ancillam, matrimonium subsistere posse.

1054. *Re. ad 1. in c. omnis*, ibi, per matrimonium legitima intelligi solemniter celebrata; & non legitima, non invalida, sed solum minus solemniter celebrata juxta id, quod exposuimus *l. 4. decretalium*; ibi enim Leo Papa solum intendit, consistere discrimen, quod est inter *uxorem legitime*; & *uxorem non legitime ductam*, omissis scilicet solemnitatibus matrimonio extrinsecis; hinc sensus illius textus est, solum inter ingenuos esse conjugia legitima, hoc est solennia, de quo plura *l. 4.*

1055. Ad 2. *Re.* ibi fuisse desideratum in nuptiis filii non arbitrium Patris servi, sed avi liberi, quia ille, de cuius nuptiis agebatur, non erat in potestate patris, sed avi.

Tom. IV.

nim, qui in alterius potestate est, alium sub sua potestate habere non potest. *L. is, qui in potestate, ff. de regul. jur.* consequenter ex eo textu non argui nullitatem matrimonii à servis contracti; quia consensus parentum, vel inajorum, non est de substantia matrimonii.

Ad 3. *ibid. Re.* ex hoc, quò servus in sciò domino inivit matrimonium, dominum non privari dominio suo in his, quæ illi debet servus, ut diximus *n. 1042.* nec istud eo textu probari; præsertim, quòd verba ex textu allegata non sint verba Pontificis decidentis, sed mulieris illam exceptionem opponentis; quàm à Pontifice audiretur.

Ad 4. *Re.* Patres illius consilii nihil aliud voluisse, quàm quòd si liber tum ancilla fuerit fornicatus, manumissam debeat in uxorem accipere; quini propterea negarent accipere, dum adhuc ancilla erat, quamvis tunc cogi non posset ad eam accipiendam.

Ad 5. *ex CC. Toletan. Re.* ibi agi de matrimonio liberti Ecclesiæ cum ingenua; & propterea inhibutum fuisse, ne Ecclesia detrimentum caperet; quia cum proles, ex tali matrimonio suscepta, sequatur ventrem; seu conditionem matris ingenuæ, hoc ipso eximebatur ab obsequiis, & oneribus Ecclesiæ præstandis ab ejus libertis, ut constat ex Canone sequenti, ibi: *si contingat quemcumque de libertis Ecclesiæ, eorumque prosapia contra primævas, modernasque Patrum regulas, quibuslibet personis ingenuis copulari; tam illis, quam eorum stirpi non licebit ab Ecclesiæ patrocinio evagari, sed ad debita obsequia reverti cogendi sunt.*

## ARTICULUS II.

### De impedimento ex disparitate Cultus.

*Cultu dispares* hic dicuntur, qui sunt diversæ religionis, unde cultus disparitas supponit hic pro diversitate fidei, seu religionis inter contrahentes, qualis est inter baptizatum, & non baptizatum. Hæc cultus disparitas dirimit matrimonium contrahendum; & cum ea contractum dissolvit, prout hoc testatum fit ex constanti consuetudine Ecclesiæ, à temporibus Apostolorum, ut constat, ex *2. cor. 6.* ubi hunc textum *nolite jugum ducere cum infidelibus* exponit S. Hieron. *l. 1. advers.*

N n

Jovinian.



Jovinian. de matrimonio cum infidelibus. Deinde in *c. Cave*, junctâ glosâ *V. Christiana* 28. q. 1. & *c. non oportet eod. c.* & q. expresse Christianis prohibetur matrimonium cum infidelibus, seu non baptizatis, ut patet ex cit. *c. Cave*. ibi: *non est satis, nisi ambo initiati sitis sacramento baptismatis*, ubi glos. *V. si Christiana*, recte notat, quod *Catechumenus* non est fidelis: hanc porro prohibitionem non esse præcisè prohibentem, sed annullantem matrimonium fidelis, seu baptizati cum infideli, seu non baptizato, optimè demonstrat constans usus, & consuetudo Ecclesie & ejusmodi matrimonia pro irritis, atque invalidis habentis, quando inita sunt sine legitima dispensatione; & colligitur ex *c. Judæi*, 10. *ead. caus.* & q. ibi: *Judæi, qui Christianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab Episcopo civitatis ipsius, ut, si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur. Quod, si admoniti noluerint, separantur: quia non potest infidelis in ejus permanere conjunctione, que jam in Christianam translata est fides; filij autem, qui ex talibus nati existunt, fidem atque conditionem matris sequantur. Similiter & hi, qui procreati sunt de infidelibus mulieribus, & fidelibus viris, Christianam sequantur religionem, non Judaicam superstitionem.*

1060. Hoc impedimentum est juris tantum Ecclesiastici. Nam cultus disparitas non irritat matrimonia jure nature, cum sine reprehensione sacre scripture fideles aliqui cum infidelibus matrimonia inierint, Jacob cum filiabus Laban; Joseph cum filia Putipharis: Sed nec etiam irritat jure divino, licet prohibeatur 2. ad Cor. 6. ibi: *nolite jugum ducere cum infidelibus*: ergo est irritum solo jure Ecclesiastico; hinc Pontifex dispensare potest, ut fidelis cum infideli contrahat matrimonium legitimum, non tamen ut sit sacramentum, ex n. 350.

1061. Quæres: an disparitas cultus extendat se etiam ad conjugium fidelium cum hæreticis? R. aliquos ex jurisperitis affirmare apud Castropal. *d. 4. de spons. p. 11. n. 5.* quia *can. 72. sextæ synodi in Trullo* dicitur, si orthodoxus cum heterodoxa, seu hæretica, vel contra contraxerit, *irritas nuptias existimari, & nefarium conjugium*

*dissolvi*. Videtur etiam colligi ex cit. *c. Cave*, ibi: *cave Christiane, gentili, aut Judæo filiam tuam tradere. Cave inquam, gentilem aut Judæam, atque alienigenam, hoc est hæreticam, & omnem alienam à fide tua uxorem accersas tibi. Prima conjugij fides castitatis gratia est; & infra. Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sitis sacramento baptismatis. & cit. *c. non oportet*, ibi: *non oportet cum hominibus hæreticis miscere combræ, & vel filios, vel filias dare, sed potius accipere, si tamen se profiteantur Christianos esse futuros, & Catholicos.**

Sed dicendum tale matrimonium esse validum; teste D. Thomâ in 4. d. 39. q. unic. a. 1. ad 5. & colligitur 1. ex praxi ab Ecclesia Romana recepta. 2. ex *c. decrevit 4. de heret. in 6.* ubi Bonifacius VIII. *decrevit*, inquit, *felicitis recordationis Innocentius Papa IV. quod propter hæresim maritorum, uxorum Catholicorum dotes non debeant confiscari. Quod intelligendum fore censimus: nisi forte mulieres ipse cum viris matrimonia contraxissent, quos hæreticos tunc sciebant; ubi vides, quod scienter nubens hæretico, privetur dote; sed non jubetur separari, sicut si nupsisset infideli.*

Ad citatum canonem 27. sextæ synodi respondet Sanchez l. 7. d. 72. n. 2. illum esse *suppositivum*, adeoque nullius autoritatis. Deinde, esto valeret, contrariâ jam consuetudine illi derogatum est; & quidem (ut Reginaldus in *praxi fori penit. tom. 2. l. 31. n. 169.* censet) ibidem, ex contextu colligitur, nomen *hæretici* sumitur pro *infideli*, prout etiam sumitur in cit. *c. cave & c. non oportet*, ut colligitur ex illis verbis: *si Christiana sit non est satis, nisi ambo initiati sacramento baptismatis*; ergo textus loquens ibi de Judæa, gentili, hæretica, & alienigena, non loquitur de hæreticâ utenque, sed cui deficit sacramentum baptismatis.

Ex communi tamen sensu, illicitum dicitur matrimonium Catholici cum hæretica, vel contra, idque jure Ecclesiastico; & probahiliter etiam jure positivo divino, ut patet ex Apostolo cit. n. 1060; imò etiam jure naturali, ubi est periculum perversionis; sic Basilius Pont. in *Append. ad c. 46. l. 7. c. 2.* Verum, si pro-



si probabiliter absit periculum perversio-  
nis, vel pravae educationis prolium,  
non est illicitum jure naturali, ob ratio-  
nem contrariam; ita Coninch *d. 26. n.*  
*21.* quod etiam procedit de jure Eccle-  
siastico, si in aliqua provincia, vel  
regno tale periculum creditur ut pluri-  
mum cessare; Azor *p. 1. l. 8. c. 11. g. 5.*  
*c. non oportet. 28. g. 1.* at, si adsit peri-  
culum perversionis, Catholicus tamen  
firmum animum habeat non assentiendi  
perversioni, potest Catholicus cum hae-  
retico licite contrahere, quando exinde  
speratur magnum bonum, ut multorum  
conversio, &c. nam haec causa sufficit,  
ut in tali circumstantia lex Ecclesiastica  
non obliget; & subie hoc periculum  
non est intrinsecè malum, ut docet Cas-  
tropol. in *tr. de peccatis. d. 2. p. 9. q. 3.*  
sic Judith cum periculo suae castitatis ten-  
tavit, & peregit liberationem populi. Et  
quoniam haereticus potest contrahere sa-  
cramentaliter, si sua culpa non faciat, Ca-  
tholicus non est particeps hujus culpa; &  
Parochus licite assistit tali matrimonio ser-  
vatis ritibus Ecclesiae Catholicae, nec ad-  
missis, quibus alterius sectae, & erroris pro-  
fessio fit; sic Castropol. *de sponsal. d. 4. p. 11.*  
*n. 13.*

1065. Quaestio est, an valeat pactum, nuptiis  
haeretici cum Catholica, vel e contra, de  
mutuo consensu appositum, quoad libero-  
rum educationem, ut masculi sequantur  
fidem parentis, filiae fidem matris; B. cum  
P. Layman *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 14. n. 3.* ejus-  
modi pacta, per se loquendo, esse irrita;  
cum sint contra obligationem parentum,  
quae tenentur educare liberos in vera fide.  
quod confirmari potest ex juribus relatis  
*n. 1059.* in casu tamen, quo diximus ma-  
trimonium personae Catholicae cum hae-  
retica licitum esse, quin speretur parens  
haereticus permittitur, ut omnes liberi e-  
ducentur in fide Catholica, non videtur  
illicitum pactis conjugalibus apponere ta-  
lem exceptionem, ut *saltem aliqua pars*  
*liberorum Catholicè educetur*, salvo jure  
matris, ut etiam reliquos, in vera fide, pro  
suo posse, erudire possit; sic etiam Tanne-  
rus *d. 8. g. 3. d. 3. n. 91.*

1066. Altera quaestio est, quid dicendum, si  
unus conjugum infidelium convertatur ad  
fidem, altero in sua perfidia remanente?  
sed de hoc jam actum est superius. Illud

Tom. IV.

not. hoc privilegium infideli concessum,  
ut conversus ad fidem, altero nolente, illo  
relicto, transire ad aliud connubium cum  
fideli possit, non competere conjugibus  
Christianis, qui post matrimonium rite  
contractum amplexi sunt paganisimum, vel  
Judaismum, licet unus eorum ad veram fi-  
dem redeat, altero recusante. Cum in  
hoc casu eorum matrimonium fuerit Sa-  
cramentum, maximè si consummatum fuit,  
ut per se patet; licet reduci ad fidem alte-  
rius perfidia sufficientem praebet causam  
divortii, quoad thorum.

## ARTICULUS III.

## De Impedimento ex errore.

Supponendum 1. matrimonium non 1067.  
stare sine contrahentium consensu legiti-  
mo; si enim solus consensus eorum de quo-  
rum conjunctionibus agitur, deficiat, cete-  
ra frustrantur. c. Cum locum. 14. c. Tua,  
25. de sponsal. Nuptias enim non concubi-  
tus, sed consensus facit. L. Nuptias. 30. ff.  
de Reg. juris. dixi, sine consensu legitimo,  
de quo satis actum est Tit. I.

Nec dictis obstat, quod quidam objici- 1068.  
unt, ex c. Is, qui fidem 30. & c. Veniens,  
15. de sponsal. ubi dicitur sponsalia de  
futuro, secuta inter sponso carnali copu-  
lâ, transire in matrimonium, licet  
negent, imò probare velint, se in ma-  
trimonium non tantùm non consensisse  
sed dissensisse. 2. ex c. fin. de condit.  
appos. ubi dicitur, matrimonia habenda  
pro puris, esto inita sint, etiam sub ex-  
pressa conditione impossibili vel turpi: ex  
quibus inferunt: ergo stare potest matri-  
monium sine consensu; purum scilicet,  
cum consensu solum conditionali.

Haec, inquam non obstant. Nam  
in primo casu matrimonium est solum  
presumptum, nec caret consensu pra-  
sumpto; in secundo autem dicitur ma-  
trimonium pro puro in illis casibus ha-  
bendum non absolute, & ubi non con-  
stat consensum fuisse simpliciter alliga-  
tum illis conditionibus; sed tantùm, u-  
bi de hac intentione dubitatur; quo casu  
dicitur, consensum illum, externe condi-  
tionalem, habendū pro puro, seu non sim-  
pliciter alligato illis conditionibus, sed tan-  
tùm sub reflexa conditione, si jure non  
habeantur pro non adjectis, ut dictum  
est

N n 2

est



est supr. de condit. apposit. adeoque, & ipsum purum esse.

1069. Supponendum 2. errorem, ex violatione sermonis esse declinationem à via; Philosophicè autem error contingit cognitione difformi, seu dissentanea objecto: juridicè, cum aliquid aliter contingit, vel aliud est, quam creditur, vel putatur; sic error acceptus coincidit cum ignorantia prave dispositionis. Notandum autem errorem posse quadrupliciter contingere in matrimonio: nam primò potest esse error *personæ*, ut quando Petrus existimat se contrahere cum Maria, & est Joanna; secundo, est error *conditionis*, ut si existimet contrahere cum libera, & postea invenit esse ancillam: Tertio, est error *fortune*, ut si existimet se contrahere cum divite, & reverà pauper sit: Quarto est error *qualitatis*, ut si existimet esse virginem, & est corrupta; vel quando existimatur pulchra, & est deformis.

1070. Supponendum 3. quemlibet ex his quatuor erroribus posse ex parte subjecti esse duplicem, ut de ignorantia docuit D. Thomas 1. 2. q. 6. art. 8. nam unus est error *antecedens* ad consensum; alter est error *concomitans* consensum, inter quos est duplex discrimin. Primum est, quòd error antecedens est causa, quare consensus habeatur, ita ut illo non existente, consensus non esset; ut si quis existimans ducere Mariam liberam, divitem & pulchrà, virginemque, illam ducat, non ducturus cognito errore: at verò error concomitans non est causa consensus, sed etiam concomitatur illum, ut etiamsi non esset talis error, nihilominus consensus esset: unde hoc genus erroris non inducit ad consensum, sed accedit consensui, ut quando Petrus existimans ducere Mariam virginem, & divitem, ducit illam, ita tamen, ut idem prorsus faceret comperto errore, & veritate cognitâ quòd talis non sit. Secundum discrimin nascitur ex primo, & illud est, quòd error antecedens facit consensum omninò involuntarium; error verò concomitans non reddit illum involuntarium; quamvis non faciat ipsum positivè voluntarium.

1071. Cum autem error faciat, ut objectum, circa quod versatur error, in eo, quo erratur, non sit cognitum, facit etiam, quòd circa illud deficiat voluntarium seu con-

sensus in illud. Nam error excludit consensum; L. Si per errorem. 15. ff. de jurisdict. omnium Jud. Et errantis nullus est consensus, ut ait Menochius Consil. 279. n. 20. & ideo voluntas errantis nihil disponit; L. 1. C. de falsa causa adjecta; imò errans potius habetur pro contradicente, teste Baldo in L. Error. C. ad L. Falcidiam. Consensus enim est duorum, vel plurimum sensus in idem: qui autem errat, non sentit, non ergo consentit; id est, simul cum aliis sentit. c. unico 29. q. 1. his pramissis.

Communis regula est, quòd error in substantia seu persona, si sit antecedens, jure naturæ dirimat matrimonium. Nam ad hoc essentialiter requiritur consensus in personam determinatam propter individuum vitæ societatem ex dict. supr. hunc autem consensum tollit error quoad personam, cum faciat erranti incognitam, ut constat ex c. unico 29. q. 1. ibi: error personæ, conjugij consensum non admittit. Et hoc verum est, sive talis error sit antecedens, vel etiam comitans; nam uterque facit; ne adit actualis consensus in personam, quam quis falsò putat illam in individuo, quam animo suo sibi designavit. Cum autem alia Sacramenta non habeant individuum vitæ societatem, in aliis Sacramentis error in persona non vitiat Sacramentum.

Altera Regula est, quòd error in sola qualitate, nullo jure dirimat matrimonium; quia cum illo fiat voluntarium simpliciter, & consensus in hanc in individuo personam, quo posito fiat matrimonium: hoc tamen limitandum est, ut tunc procedat solum, si error in qualitate non redundat in substantiam, seu individuum objecti, in quod unice consensus tendit. Nam qui voluntatem suam sic alicui individuo, vel ejus qualitati alligat, ut nolit aliter consensum suum vim ullam obtinere, nisi illud, quod proponitur, in re, sit illud individuum, aut eâ qualitate affectum, licet, dum consentit, putet ex errore illud esse, in primo errat quoad substantiam; in secundo quoad qualitatem, cujus error redundat in substantiam, hoc est, facit, ne verè consentiat in illud individuum hic & nunc propositum: & hoc sensu quilibet talis error dici potest error in substantia rei, quando ad aliud quod ejus prædicatum intentio contra-



hentiſt eſt ſimpliciter reſtricta, ut dictum eſt.

1074. Ex hoc colliges 1. non vitari contractum ex errore, vel dolo *non dante causam contractus*; hoc eſt, eo (quo non exiſtente, non exiſtente actus) ſed ſolum incidente in illum, hoc eſt, ſic præſente, ut etiam abſente tali dolo, vel errore contractus eſſet; ſic enim intentio contrahentiſt non reſtringitur unice ad prædicatum objecti, dolo, vel errore propoſitum. Coll. 2. nec ſemper vitari contractum ex errore, vel dolo circa prædicatum, cuius ignorantia, ſeu error dat cauſam contractui, niſi contrahens ſimpliciter alligaverit intentionem ſuam tali prædicato, cuius præſentia in objecto falſo proponitur. Nam eſt Titius non duxiſſet Bertam, ſciens ſterilem, vel corruptam, aut immorigeram; matrimonium tamen valet, licet contraxerit putans fecundam, virginem, morigeram, & contrarium deprehendat poſtea. Volitio enim, *que non eſt ſed eſſet, nihil ponit in actu; ſed tantum poneret.* Et ideo valet teſtamentum Titij, qui hæredem ſcripſit filium, putans, fore bonorum conſervatorem, vel auctorem; licet re ipſa deinde ſit dilapidator.

1075. Tota difficultas eſt, unde iudicandum venit in dubio, an contrahens, vel diſponens, huic vel illi prædicato objecti ſuam intentionem primariam ſimpliciter alligaverit? vel non alligaverit? & conſequenter quis error ſit circa ſubſtantiam, vel ſolam qualitatem rei? in hoc, prætermiſſis aliorum valde diverſis opinionibus, placet regula, quam tradit Haunoldus tom. 3. de Juſt. tr. 8. n. 78. dicens: *omne illud prædicatum habendum eſſe de ſubſtantia rei in contractibus* (quando dubitatur de intentione contrahentiſt) *ad quod ex communi hominum uſu, vel legis diſpoſitione, præſumitur, ſaltem implicite, ac virtualiter, reſtricta intentio contrahentiſt; ſecus autem, non eſſe de ſubſtantia, ſed ſola qualitate.* Cuius ratio ulterior eſt, quia prædicatum, ad quod unice reſtringitur intentio contrahentiſt, habet ſe, ut conditio, *ſine qua non*, ut rectè notat Sanchez. hic l. 7. d. 18. n. 21. conditione autem deficiente deficit actus; ergo etiam deficiente tali prædicato: ergo per oppoſitum, ubi voluntas tali prædi-

cato non alligatur, hæc non deficit, eſto deficiat illud.

Ex hoc colliges. 3. nullum fore matrimonium Principis, qui contrahere deſtinavit cum Caja, filia *talis Regis*, ſi conſentiat in Bertam, *falſo propoſitam*, tanquam *filiam talis Regis*. Nam huic prædicato, quòd ſit *verè filia talis Regis*, ex communi uſu talium hominum ſimpliciter alligari ſolet intentio contrahentiſt, conſequenter habet ſe inſtar conditionis, ſine qua non conſentit in Bertam, in quam intentio primaria illius tendit; ſed, reſtricta ad conditionem, *ſi ſit filia talis Regis*. Coll. 4. nullum fore contractum emptionis *equi v. g. factum*, ſubſtituto per venditorem alio ſtaturà, & colore ſimillimo, ſed indole profuſo diverſo ab eo, quem venditor emptori prius ſpectandum exhibuit. Nam in ejuſmodi contractu, ex communi hominum uſu, non colori tantum, & ſtaturæ, ſed indoli quoque ſimpliciter alligari ſolet intentio emptoris.

Not. autem, fieri poſſe, imò ſæpe fieri, quòd in certo genere contractuum aliquod prædicatum ſpecialiter attendatur; non, in altero; nam *eſſe filiam talis Regis, in matrimonio*, ſpecialiter attenditur; *in re vendibili* non attenditur. Hinc, ut doctrina tradita locum habeat, plurimum pendet à conſuetudine locorum, & voluntate contrahentiſt. Talia porro prædicata, quæ de communi hominum uſu ſpecialiter movere ſolent, & voluntatem certorum contrahentiſt ligare, ſunt, *eſſe primogenitam, eſſe hæredem unicam, eſſe de ſtatu*, qui naſcentibus inde liberis non præcludat viam ad tales Canonicatus, &c.

Not. 2. ignorantiam, & errorem inter ſe diſſerre. Nam illa dari poſt, nullà cognitione prævià, ſolà ſcientiæ privatione conſtans; iſte autem petit iudicium intellectus poſitivum, ſed falſum; propter quod ad diſtinctionem ab ignorantia *meræ privationis*, dicitur ignorantia *prave diſpoſitionis*. Ex quo vides, quòd ignorantia tollat omnem cognitionem circa ignoratum; error autem, ſolum cognitionem *veram*. Ex hoc autem deducitur, per nullam ignorantiam auferri conſentium voluntarium, faciendo, quòd actus voluntatis datus, non ſit voluntarius, niſi conjuncta ſit cum errore. Nam actus voluntatis ſupponit cognitionem objecti, in



quod fertur; quæ si vera sit, actum facit voluntarium; si falsa, involuntarium: dicitur autem, quod error potius, quam ignorantia, impediatur contractum, seu consensum (intellige *voluntarium*) quia ille est causa proxima hujus defectus; ista verò, solum, prout errori conjuncta.

1079. Et quoniam nunquam contingit error *in persona* sine aliqua saltem ipsius cognitione prævia, v. g. ex visu, auditu, fama (nemo enim consensum suum, vel affectum dirigere potest in penitus ignotum, ut colligitur ex *L. Tres Fratres. 36. ff. de pactis. l. Cum ab eo. Vers. Mensam. ff. de contrah. empt. l. In Lege 77. ff. eodem*) nunquam etiam contractus circa rem aliquam determinatam ex errore deficere videtur, nisi aliqua saltem noticia talis objecti ejusmodi contractum præcesserit: advertendum autem aliud esse, quod error faciat *involuntarium*; aliud quod *non voluntarium*. *Non voluntarium facit*, quando efficit, ne adsit consensus voluntatis *positivè*, & actu in objectum, quod fieri potest, licet habitu, & animi præparatione voluntas sit in eo affectu, ut, etsi sciret, esse aliud (v. g. non Bertam, sed Cajam) nihilominus in illud consentiret. *Involuntarium* autem, quando efficit, ut consensus sit contrarius voluntati vel simpliciter, vel secundum quid; atque adeo, quando includit, aut conjungitur cum voluntate contraria vel actuali, vel habituali, ut notat Sanchez *l. 1. hic. d. 65. n. 3.*

1080. Not. 3. quod error solum *concomitans*, etsi non efficiat involuntarium, ut tenet Sanchez *l. 7. d. 18. n. 6.* efficiat tamen *non voluntarium*; nam circa objectum, quod proponitur voluntati per errorem concomitantem, in voluntate non est ullus consensus actu & positivè, sed tantum in animi præparatione. Et ideo error in persona, licet solum concomitans, vitiat matrimonium cum persona, tali errore proposita; quia circa illam non adest voluntarium, positivè, & in actu, sine quo non stat matrimonium, aut ullus contractus. Unde dicendum, adhuc irritum fore matrimonium liberi cum serva, etiam cum errore solum concomitante, quo putat liberam, esto liber præparatione animi sic dispositus sit, ut eam duceret, licet sciret servam esse: quia consensus, qui non est,

sed tantum esset, non est consensus in actu; ita Sotus in *4. dist. 35. q. unic. a. 2.*

Not. 4. inter matrimonium & alia Sacramenta, esse discrimen; quod illud respiciat individuas personarum contrahentium conditiones, & juxta illas consensus determinetur; cum hæc naturæ suæ conferant ad individuum vitæ societatem, in qua est matrimonii substantia: id, quod non est in cæteris Sacramentis; cum illæ conditiones individuarum nihil conferant ad finem Sacramenti. Et ideo in his intentione ministri coarctatur solum ad præsentem, cui sacramentum ministratur, quæcumque sit: in matrimonio autem ad eam, quam sibi animo designarunt. Et quoniam error in persona, vel qualitate, quæ redundat in personam, tollit consensum, sine quo nec naturaliter stat matrimonium, ejusmodi error dirimit matrimonium jure naturali, consequenter nec inter infideles valet matrimonium cum tali errore contractum. Nam nec inter ipsos valet matrimonium cum impedimento juris naturalis.

Ex solo autem errore, vel dolo circa qualitatem præcisè, quantumvis det causam contractui, non vitari matrimonium; ratio est 1. quia talis error solum tollit consensum circa ignoratum, quod non pertinet ad rei substantiam, aut ratione sui, aut ratione intentionis illi alligatur, ut ponit casus; ergo relinquit integrum consensum in personam: at ex hoc, non ex illo, confurgit substantia matrimonii; ergo; dixi: *ratione intentionis illi alligatur. i. e.* Nam secus error qualitatis redundat in substantiam, & voluntatem restringit ad statum conditionalem: si scilicet *in objecto sit ea qualitas*, ut rectè notat Sanchez *l. 7. hic d. 18. n. 21.* Neque à contractibus bonæ fidei (qui dolo initi dante causam contractui, jure civili sunt ipso jure irriti per *L. Eleganter. ff. de dolo*) rectè fit paritas ad matrimonium; nam illi non sunt irriti ex defectu consensus; sed bonæ fidei, quam non spectari quoad ejusmodi qualitates in matrimonio, seclusa voluntatis alligatione, constat ex eo, quia etiam supposito errore circa puram qualitatem stat consensus in hanc personam. Et licet verum sit, quod quilibet error tollat voluntarium circa id, in quo erratur; quia tamen, quando est circa solam personam



sonæ qualitatem; circa personam non erratur, non tollit voluntarium simpliciter circa illam, esto miscetur involuntarium circa qualitatem. Hinc licet persona sit in apprehensione intellectus, ut *virgo, dives, nobilis*; & voluntas eam apprehensionem sequatur: solum sequitur deficiente qualitate, consensum non esse *omnino*, seu *omnimodo* voluntarium; sed esse tamen voluntarium simpliciter, & solum involuntarium secundum quid. Neque ur-

get paritas ab elemosyna; cuius dominium non acquirit, qui fide pauper est. Nam actus misericordie naturam suam, & per se respicit indigentiam alterius, quam largitione sublevare intendit, quæ in hoc casu deficit; at in consensu conjugali non deficit persona, vel substantia rei, quam per se respicit, sed tantum accidens, quod præsens esse, error fingit.

## QUÆSTIO X.

### In Tit. X. De Natis ex libero ventre.

1083. IN hoc titulo resolvitur quæstio, cuius parentis conditionem filii sequantur, quoad *servitutem, & honores*; an patris, an matris: quoad primum hæc regula traditur, *quod partus quoad conditionem sequatur ventrem*, qui certus est, sive pater sit liber, sive servus. *L. 5. §. 2. & 3. ff. de stat. hom. & sensus est, quod proles sequatur conditionem matris, non patris.* Hinc natus ex matre serva fit servus, esto patrem habeat liberum; *c. fin. de servis non ordinand.* ubi Gregorius IX. ab Archiepiscopo Neapolitano rogatus, an natus ex patre servo, & matre libera, sit liber, & licet in sacris promoveatur: respondit *mandamus, quatenus si tibi constiterit de præmissis, eundem militem ab huiusmodi impedimento cessare compescas.* Casus autem erat, quod quidam miles diaconum impedire volebat ab ordinibus, eo quod habuerit patrem servum, non obstante quod matrem haberet liberam, & natus ex libera, sit liber, esto patrem habeat servum. *c. Indecens, unico h. t. ibi: indecens esse credimus, ut progenti ex libera, sive libera, filij ad servitium retrahantur.* Propterea tibi præcipimus, ut si documenta nulla sint ab Ecclesie parte, quæ documentis huiusmodi debeant obviare, ab ejus molestia sine aliqua retractatione compescas eundem; durum est enim, ut si alii pro mercede libertates tribuant; ab Ecclesia, à qua tueri debent, revocentur. Ex hoc sequitur, si dominus suscepit filium ex ancilla sua, etiam filium inde susceptum esse servum domini, ut dicitur *L. 2. C. si ita mancipium*: in casu tamen, quo domi-

nus usque ad mortem conjugatus non est, retentâ ancillâ, ac intestatus decessit, & illa, & liberi ex ea à domino suscepti, libertatem consequuntur. *L. fin. C. communia de Manumiss.*

Not. autem i. regulam, quod liberi 1084. conditionem matris quoad servitutem, & libertatem sequantur procedere, quamvis non sint geniti ex legitimo matrimonio. *L. & servorum 5. ff. de statu hominum* Vers. *Ingenui sunt*, ubi dicitur: *nihil referre, an ex justis nuptiis, an vulgo conceptus sit*: dicitur autem, *vulgo conceptus*, qui est spurius. *L. vulgo 23. ff. eod.* junctâ *gl. 7. non licet*: quæ ponit exempla, si pater sit monachus, vel proles concepta sit ex incestu.

Not. 2. quod partus fiat liber, modo 1085. mater libera sit uno ex tribus modis, seu temporibus, nimirum, vel *conceptionis*, vel *uteri gestis*, vel *nativitatis*. *Instit. de ingenuis. §. sed & si quis*; item cit. *L. & servorum* hinc natus ex matre, quæ libera erat, dum utero ferebat partum, fit liber, esto nascatur postea ex matre in servitium redacta. Hoc tamen intellige, *vi natalium*. Nam ex alio capite interdum aliter dispositum est: quando enim ex privata ancilla (licet libera) servus publicis operibus deputatus, suscipit prolem, eo casu, liberi ex libera, sunt servi cum matre, juxta *L. fin. C. de servis fugit*: non jure sequela status materni: & ex vi natalium; sed ob delictum parentum; sic Sanchez cit. *l. 7. hic d. 24. n. 12.* Alter casus est, quo pater revocatur in servitutem post commissam ingratitudi-